

Diis itaque atque hominibus tale monstrum abominantibus postridie Idus Maias sacrorum causa in templum diui Gothardi descendentem Baucii Fratres, reliqua coniuratorum manu incumbente duobus vulneribus confecerunt discissa usque ad oculos fronte, & dextro crure ad suram detruncato. Exanimem & aliquandiu ab omnibus desertum pauci ex infimo familiae ordine in templum maximum detulere. Ibi cum foedis vulneribus & multo cruore deformatus non sine ludibrio spectaretur, infimae sortis meretrix tempestivae pietatis officium usurpans, totum cadauer multa recenti rosa contexit. Inde postea à Philippo successore opulentam dotem ut honeste nuberet ingenuae charitatis nomine habere promeruit. Eodem die Giramus scelestus carnifex concursu populi latebra extractus quum vivus vivo traheretur, pro ianua damnata & mox ad solum aequatae domus, horribili meritoque supplicio affectus est. Ipse quoque Facinius copiarum Imperator, quum ei insuperabilis morbus vitae finem afferret, nunciata caede principis, duces militesque suos obtestatus, ut percussores persequerentur; Philippoque ad principatum hereditatis iure contendenti fortem atque fidelem operam praestarent; paucas post horas expiravit, magno quidem coniuratorum commodo, qui nemine principis caedem vindicante, Hastorem Barnabae ex concubina filium bello stre-num pater nosque spiritus gerentem magnis acclamationibus ad principatum extulerant.

PHILIPPVS